

aliqua corporea. Neque enim anima laceratur, incalescit vel frige fit nimum, sed dolor in anima est ratiocinatio iudicans obiectum hoc contrarium esse corpori et depellendum, ita natura diuina potuisset repellere Iudaeos a corpore Christi, nisi tunc, vt optime dictum est, voluisset quiescere. [16:] Sed cum  
 5 talibus praestigiis facile saucientur infirmi, vt recte dictum est a nostro Philippo, ideo eas omittimus.

Nunc transeamus ad secundam hypothesin, quae est, quomodo hic rex in hac vita suis adsit. Fugiendi sunt furores enthusiastarum, qui spreto aut extenuato usu ministerij deducunt homines ad singulares et arcanas patefactiones extra  
 10 et praeter Verbum. Nos vero fideliter retinemus coniunctionem Filij Dei, qui est λόγος et ministerij, per quod efficax est in cordibus piorum ó λόγος. Dupliciter enim nobiscum loquitur Filius: primum foris in ministerio ostendens et offerens aeterna bona secundum promissionem euangelij, seruans omnibus temporibus ministerium. Deinde intus in piorum cordibus per Spiritum sanctum  
 15 flectens eos ad salutarem assensum, monstrans illis Patrem et accendens in corde conformitatem cum Deo. Nullam vero magicam vel physicam imaginamur Christi ad verbum vel sacramenta alligationem, sed dicimus eum liberrime ex pacto per verbum et sacramenta in credentibus esse efficacem et ea in ipsis efficere, quae offert promissio et, vt magis perspicue haec declaremus, prodest ea referre ad articulum de gradibus praesentiae Dei. Discernenda est haec praesentia primum a praesentia vniuersali, qua Deus toti naturae adest. Sanctis etiam in altera vita praesens est sine ministerij usu. Tradet enim Christus regnum Patri post resurrectionem mortuorum, abolebitur prorsus peccatum et ministerium atque Deus omnia erit in omnibus.<sup>48</sup> Neque  
 25 Christus aliqua vnione personali vel substantiali ad illa externa symbola sacramentorum alligatus est, sicut duae naturae in Filio copulatae sunt, sed ad tertium gradum haec praesentia pertinet. Colligit sibi in hac vita Filius Dei ecclesiam, adest piis et illis praesens est, sicut dicitur: „Veniemus ad eum et mansionem apud eum faciemus.“<sup>49</sup> Sed haec omnia fiunt hoc ordine, vt per  
 30 vocem euangelij et sacramenta sit efficax. Recte igitur praesentia ministerij et praesentia sacramentalis refertur ad tertium gradum praesentiae Dei, qua [17:] Deus adest sanctis in hac vita vsque ad resurrectionem mortuorum, accendens et augens fidem, inchoans in illis nouam vitam per Spiritum sanctum, qui est efficax per ministerium secundum ordinem a Christo institutum.  
 35 Qualis sit vsus verbi vocalis, qualis etiam sacramentorum et quod inter haec discrimen facile potest monstrari.<sup>50</sup>

Sacramenta sunt ritus incurrentes in oculos instituti vt sint sigilla promissionis et testimonia applicationis promissionis vniuersalis ad singulos.<sup>51</sup> Sym-

<sup>48</sup> Vgl. I Kor 15,28.

<sup>49</sup> Joh 14,23.

<sup>50</sup> Zur Lehre Melanchthons von den „quattuor gradus praesentiae Dei“ vgl. Philipp Melanchthon, Examen ordinandorum (1559), in: CR 23,5.

<sup>51</sup> Vgl. Melanchthon, Loci praecipui theologici (1559), CR 21, 861f (MWA 2/2, 519,31–34).